



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXII. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Episcopvm Syracvsanvm. De
Felice quodam Christiano a Samaraei seruitio liberato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Mense Maio, indictione prima.

EPISTOLA XXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM SYRACVSANVM

De Felice quodam Christiano a Samaræi seruitio
liberato.*Gregorius Ioanni episcopo Syracusano.*Iuo part. 13.
cap. 103.
Ioan. diac.
lib. 4. c. 48.

FELIX præsentium portitor questus nobis est, cum sit de Christianis natus parentibus, a quodam Christiano Samaræo se, quod dici scelus est, esse donatum. Et dum huiusmodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere nec ratio legis nec reuerentia religionis admittat; se tamen per decem & octo annos in eius asserit seruitio permanfisse. Sed cognoscente hoc sanctæ memoriæ decessore vestro Maximiano, ab eo se, zelo, sicut decuit, sacerdotali commoto, de Samaræi seruitio nefario dicit liberatum. Sed quia eiusdem Samaræi filius post quinque annos factus dicitur Christianus, & supradictum Felicem in eius seruitium, quantum ipse dicit, quidam nituntur redigere, sanctitas vestra hæc quæ edocti sumus diligenter inquirat: & si ita ei esse constiterit, eum tueri studeat, & a nullo sub qualibet occasione grauari permittat; quia dum superstitionis sectæ mancipia dominos suos ad fidem præcedentia seruitio eorum aperte redigi iura prohibeant, quanto magis hic de Christianis parentibus natus, & factus a paruulo Christianus, hanc non debet quæstionem aliquo modo sustinere, maxime quia nec patris eius esse seruus potuit, quem liquet ex praua potius præsumptione pœnam posse venientem de legibus sustinere. Et ideo, sicut diximus, ita eum sanctitatis vestræ defensio rationabiliter tueatur, vt nulli eum sub quolibet argumento sit aliquatenus affligendi licentia.